21

Capitulo Varmiensi.

Arcem Heilsbergensem probe adversus omne omnem communiri jubet, et quibus exercitus imperium demandaverit, nunciat.

Venerabiles devote nobis dilecti. Qui motus nuper in his terris exorti sint, irruptione externi istius exercitus insperata, non arbitramur Dominationes Vestras ignorare. Quamobrem cum in hac perturbatione reliquos omnes Ordines officii illorum admonuerimus, ut pro se quisque ad summovendum hunc exercitum adniteretur, praetermittere quoque noluimus, quin Dominationes Vestras commoneremus, ut cum intelligant magnum momentum esse in Prussiae terris, ut arx Heilsbergensis in potestate Episcopi conservetur, nec ad cujusquam alterius potestatem deveniat, denoperam, ut tam ejus arcis, quam totius Episcopatus, reliqua propugnacula omnia tum muro tum milite diligenter firment atque muniant, ne qua eo aut per vim, aut per fraudem irruptio cuiquam patere possit. Idque etiam hoc diligentius faciant, quod intelligunt licentiam militarem, bonis praecipue ac possessionibus Ecclesiasticis insidiari, in quibus occupandis doles an virtus extiterit, non existimant requiri oportere. De omnibus autem rebus ad Ordines terrarum illarum, si quid opus sit, et ad nos referant, ut huic malo quam primum obviam iri possit. Aliter ne faciant Dominationes Vestra

stra pro officio suo et gratia nostra. Datum
ut supra, &c.

Designavimus Ductores et Gubernatores co:
piarum Prutenicarum per id tempus Magnificos
Culmenses et Marieburgenses Palatinos. Volu:
mus itaque, ut Dominationes quoque Vestrae
ex commun consilio rebus suis interim prospici:
ant, ad illosque referant.